



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. XI. Sintne attributa de essentia Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

CAPVT XI.

*Utrum hac diuina attributa sint de essentia Dei, ita vt de illo essentialiter predicentur.*

*Identitas attributorum cum essentia propositam quaestiones non tollit.*

1. Non satis est ostendisse identitatem, vt inferatur ex ea essentialitas (vt sic dicam) seu quod vnum sit de essentia alterius, nam infra videbimus, relationes diuinas non distingui in re ab essentia, & nihilominus non esse de essentia eius, & spirationem actiuam non distingui in re a Paternitate, & Filiatione, licet illis essentialis non sit. Quamuis ergo attributa non distinguantur ab essentia, adhuc superest quaestio, an sint de essentia. Videntur itaque, non esse de essentia, non solum in opinione Scoti, ex qua necessario id sequitur, sed etiam supposita sola distinctione rationis. Quia haec sufficit vt vnum predicatum dicatur esse extra essentiam aliquam, quando nostro modo intelligendi supponit illam plene constitutam. Sed ita est in praesenti, ergo. Maior patet inductione, non solum in exemplis adductis, sed etiam in transcendentibus, quae licet tantum distinguantur ratione ab ente, non dicuntur esse de essentia entis, velle. Idem est de attributis negatiuis Dei respectu essentiae diuinae. Ratio vero est, quia quod est de essentia, nec ratio nec potest praescindi ab essentia, ergo si supponitur essentia constituta, & concepta, reliquum, quod ei attribuitur, non potest esse de essentia. Minor autem, nimirum, ita esse in praesenti probatur, quia prius concipimus essentiam Dei, vt constitutam praedicatis essentialibus supra annumeratis, & deinde concipimus attributa, vt existentia circa naturam, sicut dixit Damascenus libro primo de deo capite quarto, non ergo vt essentialia. Denique haec ratio haec locutio est falsa in sensu formali, *Essentia est sapientia, vel e contrario.* Propter haec quidam dicunt, attributa non includi in conceptu essentiae diuinae, licet in re sint idem, in quam partem inclinat Capreolus citandus capite sequenti. Ex qua sententia sequi videtur, attributa formaliter sumpta non esse de essentia, nec praedicari essentialiter, nam quod est de essentia, non potest excludi a conceptu essentiae, etiam praecisive. Neque id, quod est extra conceptum essentiae, potest essentialiter praedicari.

2. Nihilominus dicendum est, propria Dei attributa absoluta, & positiua praedicari de Deo essentialiter. Haec assertio sumitur ex Diuo Thoma 1. part. qu. 13. articulo 2. vbi dicit nomina horum attributorum, *positiua significare substantiam Dei, atque ita dici de Deo substantialiter.* Sed hoc exponi potest per solam identitatem, nam spiratio, verbi gratia, etiam dici potest praedicari de Deo Patre, & Filio *substantialiter*, vt distinguitur contra accidentaliter. At hoc non habet locum, quia ipse D. Thomas statim a. 6. in corpore, & ad 1. explicuit, haec attributa praedicari *essentialiter*, de Deo. Idem sumitur ex q. 3. ar. 6. vbi docet, haec non praedicari de Deo per accidens, nec per se secundo, sed per se primo, quod est praedicari essentialiter, & q. 5. art. 3. ait, perfectionem illam, quam solent habere substantiae creatae per accidentia, habere Deum per suam essentiam, & *qua de alijs solent praedicari accidentaliter, de ipsa praedicari essentialiter, vt esse potentem, sapientem, & alia huiusmodi.*

3. Haec etiam communis doctrina Patrum, Dionysii in capite secundo de Diuin. nom. ex professo ostendit, Deum esse vitam, sapientiam, & alia, quae de illo dicuntur hoc modo in scripturis, & omnia esse vnam bonitatem, de qua sic inquit in initio capitis. *Ipsa quidem bonitas diuina totam essentiam, quid quid tandem sit, desinens, atq. enuntians, a scriptura sancta laudata est.* Omnia ergo significant vnam perfectionem essentialiter

Dei, omnia ergo essentialiter dicuntur. Vnde August. 6. de Trinitate capite 4. 6. & 7. *Hoc (inquit) est Deo esse, quod forte esse, aut iustum esse, aut sapientem esse, & si quid de illa simplici multiplicatione, vel multiplici simplicitate dixeris.* Et libr. 15. cap. 5. *Non est aliud sapientia, aliud essentia, cui hoc est esse, quod sapientem esse.* Quod saepe in illis locis repetit libr. 5. cap. 8. 10. & 11. lib. 10. c. 11. Docuit hoc ipsum formalibus verbis Anselm. in Monolog. cap. 16. vbi non solum ait haec omnia de Deo *essentialiter dici*, sed etiam *omnia secundum vnam considerationem, & secundum vnum modum dici*, quia, Idem (inquit) est quodlibet vnum illorum, quod omnia sunt simul, siue singula vt cum dicitur iustitia, vel essentia, vnum significat, quod alia vel omnia simul, vel singula. Vbi non negat distinctionem rationis, sed inclusionem essentialem docet, quam in hoc capite, & in duobus sequentibus explicabimus. Eandem veritatem docuit Gregor. libr. 16. Mor. capit. 20. 21. Cyrill. Alex. lib. 1. Theophr. cap. 8. & libr. 11. cap. 1. & Theodor. lib. de Diuin. decret. cap. de Principio. In hoc etiam sensu dixit Isidorus libro primo, de summ. bon. capite primo, quod in Deo sentit Richardus de S. Vict. lib. 1. de Trinitate cap. 12. & 17. Idem habetur optime in libro de Cognit. verae vitae c. 7. inter opera Aug. tom. 9. Denique Bernardus serm. 80. in Cant. & lib. 5. de consider. contra Gilbertum Porretanum directe disputat. & ideo sententiam eius latius referemus libro 3. de Trinitate.

4. *Probatum ratione.*

Ratione ostendimus late veritatem hanc disputatione trigesima, Metaphys. section. quinta. Nunc hoc breui discursu vt possumus. Quia in primis nemmo dubitare potest, quin praedicata illa, quae secundum formalem rationem communem Deo, & creaturis dicuntur essentialiter de substantijs creatis, multo magis dicantur essentialiter de Deo, scilicet esse substantiam, viuente, spirituale, & intellectualem. Nam licet diuerso modo dicantur de Deo & creaturis, quoad hoc quod in creaturis significant gradus diuersos, & limitatas differentias, in Deo vero vnam simplicissimam rationem, vt Anselmus supra indicauit: tamen quoad rationem significandi, seu indicandi essentiam, multo perfectiori modo sunt essentialiter in Diuina natura omnia illa praedicata, quam in creaturis. Quia omnia dicunt vnum esse simplicissimum Dei, quod per se ipsum est omnia illa. Rursus necessario concipere debemus, illa praedicata habere aliquid in Deo proprium, & peculiare illi, ratione cuius quandam quidem peculiarem, & singularem essentiam constituent, ab omnibus alijs distinctam, excellentiori modo essentialiter includentem omnia illa praedicata in sua ratione essentiali. Hic autem modus non est alius, nisi quia omnia illa habet cum summa vnitatem, & simplicitate per essentiam suam. Alia enim dicuntur entia, quia participant esse, Deus, quia essentialiter est suum esse, alia dicuntur substantiae completae, quia subsistunt in naturis substantialibus, modo quodam proprio illis adiuncto, Deus, quia essentialiter est per se, ac subsistit. Alia dicuntur viuere, quia in se operando se mouere possunt, Deus autem quia per suam essentiam, ita viuunt, vt quidquid est perfectionis in actuali, & interna operatione, per se essentialiter habeat. Et eodem modo est essentialiter intellectualis, per se ipsum, & per puram quandam actualitatem, longe altiori modo quam intellectuales creaturae. Ergo haec omnia praedicantur essentialiter de Deo, ergo & omnia attributa positiua eodem modo de ipso dicuntur. Patet haec vltima consequentia (reliqua enim satis euidenter videntur ostensa) quia per omnia attributa nihil aliud ei tribuitur, nisi id, quod in summa perfectione illius esse intellectualis per essentiam formalissimam, & vnitissimam continetur, vt explicando illa omnia attributa in particulari manifestius constabit.

STARTED  
IN  
THE  
LIBRARY  
OF  
D. V.  
CONCORDIA  
UNIVERSITY  
D. V.  
/



Hoc declarari potest ex summa perfectione, & infinitate diuinae naturae. Nam sapientia v. g. vel includitur in essentiali conceptu Dei, vel non, si includitur ergo praedicatur essentialiter de illo, eademque ratio est de quolibet alio attributo, vel perfectione absoluta, quae in Deo formaliter existat. Si vero non includitur, ergo illud ens, quod essentialiter est Deus, ex vi suae essentiae non est summe perfectum, neque infinitum ens, quia non includit in suo esse essentiali, omnem perfectionem possibilem. Dices, satis esse, quod includat, quasi in radice, sicut essentia includit passionem. Sed contra, nam in primis hic modus imperfectus est respectu earum perfectionum, quae dicuntur simpliciter simplices, quia melius est, habere illas formaliter, quam vilo alio modo. Vnde vltimus respectu illarum est ille modus impossibilis, si haberi debent summo, ac perfectissimo modo, & ideo necesse est, vt in ipso esse per essentiam summe perfecto, formaliter, & essentialiter includantur. Et ideo recte dixit Gregorius Nyssenus libro ad Ablabium: *Omniem circa essentiam diuersis atem reijcti diuina, simplexque natura.* Et iterum. *Quod prorsus est infinitum non aliqua quidem re definitur, aliqua vero non.* Quasi dicat, omnia in sua essentiali ratione includere, quae ad suam perfectionem pertinent. Et Richardus de S. Vi. lib. 1. de Trinitate, capit. 17. *Quidquid (ait) in summo bono est, vera & summe vnum est, necibi aliud, & aliud esse potest, sed idem ipsum est totum, quod est.* Sic etiam Bernardus libro 6. de Confid. cap. 7. Ex hoc principio, quod Deus cogitari debet optimo modo, concludit, cogitandum esse cum summa, & simplicissima inclusione omnium perfectionum, quae de illo dicuntur. Idem ergo dicimus de essentia Dei quatenus essentia est, & quo ad ea, quae essentialiter includit, ergo omnes haec perfectiones essentialiter de Deo dicuntur. Et in c. seq. latius afferemus rationem, qua Bernardus viuitur.

5. *Declaratur.*  
6. *Obiectiu.*  
*Responso.*

Sed dicet aliquis, haec omnia recte probare de re ipsa, secundum quod est in se, non vero prout a nobis concepta. Itaque in re essentia Dei includit attributa, non vero, vt a nobis concepta praecise ab attributis. Respondeo, in his esse optimum argumentum a re ipsa, ad eandem, vt obiectam nostro conceptui. Suppono enim vere nos concipere Diuinam naturam, & non fictam. Quia fieri non potest, vt in re sic concepta non includantur omnia, quae in re sunt de essentia eius, quia secluso aliquo essentiali non manet essentia. Vnde in essentia sic concepta non includerentur attributa, etiam negando esset verum dicere, has perfectiones non esse de essentia talis naturae sic conceptae, ergo vel ibi non concipitur vera diuina natura, vel idem dici potest de diuinitate in se si ergo hoc posterius falsum est, etiam illud prius.

7. *Dubitandi ratio diuinitatis.*

Ad rationem ergo dubitandi in contrarium respondetur, cum de Deo praedicamus esse sapientem, iustum, & similia, licet ex parte subiecti concipiamus aliquid, in quo intelligamus, esse totam essentiam Dei, nihilominus per praedicatum non ei attribueretur aliquid, quod sit extra essentiam eius, vel quod in ipso subiecto concepto, essentialiter non includatur: sed explicari, & distincte enuntiari, quod in essentia subiecti confuse tantum concipiebatur. Sicut cum dicimus, *homo est rationalis*, non praedicamus aliquid, quod sit extra essentiam hominis, sed explicite praedicamus aliquid, quod in conceptu essentiali subiecti confuse continebatur. Atque hoc exemplum, & similia confirmant satis veritatem positam. Quis enim neget magis per se primo esse propositionem hanc, *Deus est sapiens, iustus, & similes*, quam hanc, *homo est rationalis*? Hoc etiam exemplum soluit omnia, quae hic dubitari possent, nam etiam homo, & rationalis distinguuntur ratione, & in latitudine distinctionis rationis magis, seu cum maiori fundamento, quam sapientia, & essentia Dei. Vnde quod quidam aiunt, haec attributa non praedicari ad modum differentiarum

distingendum est, nam in differentia sunt duo, vnum est limitatio, & imperfectio, & hoc non conuenit his praedicatis, aliud est perfectitas (vt sic dicam) & intima inclusio, & hoc excellentiori modo conuenit his praedicatis respectu Dei, quam differentiae respectu speciei. De transcendentibus vero non est eadem ratio, quia praeter entitatem includunt negationem vel connotationem aliquam rationis, seu extrinsecam, ratione cuius concipiuntur tanquam extra essentiam. Quidquid vero perfectionis realis in eis est, essentialiter est enti reali. Idemque est cum proportione de attributis negatiuis. De praedicationibus autem inter essentiam, & attributa dicam in vltimo capite huius libri.

Tandem cum Damasius in dicto cap. 4. dixit: Haec attributa positicia, non diuere naturam Dei, sed quae sunt in natura Dei exponere, ideo dicit, quia singula ex his attributis secundum modum concipiendi nostrum, non praedicant totam Deum naturam, sed explicant, quasi per partes (nostro modo loquendi) quid illa sit. Et ita appellat circa naturam, non quia sint extra essentiam, & naturam, sed quia in ea essentialiter includuntur. Quod magis explicuit c. 12. vbi prius etiam dicit, haec attributa dicere aliqui eorum, quae naturam affectantur, id est, perficiunt, & quasi constituunt, vt quae essentialiter. Nam statim de Deo eiusque substantia subdit. *Vniuersum enim id, quod est, tanquam immensum quoddam, & infinitum essentiae pelagus complexu suo continet.* Ergo essentia, vt essentia haec omnia complectitur, & ideo subiungit, *Nec enim in Deo prius ipsum essentiam dicere licet, postea bonitatem.* Per bonitatem autem, summam illius perfectionem, in qua omnia dicta attributa formaliter inueniuntur, intelligit, non sunt ergo aliquid extra essentiam, formaliter de essentia loquendo vt essentia est. Igitur haec omnia de Deo essentialiter praedicantur.

8. *Damasius non exponit.*

CAPVT XII.

An Diuina natura sit de essentia omnium, & singulorum attributorum, ita vt de illis essentialiter dicatur.

Quia non semper duo conceptus obiectiu ita comparantur, vt in praedicatione, & inclusione essentiali conuertantur, ideo licet ostensum sit, attributa includi in conceptu essentiae Dei, adhuc declarandum superest, an etiam de contrario essentia sit de conceptu attributorum. Nam essentia diuina est de conceptu essentiali diuinarum relationum, & non de conuerso, vt infra videbimus, & ens est de conceptu substantiae, & non de contrario, & ita in alijs inuenitur. Et quamuis haec duo, nimirum, esse de essentia, & de conceptu videantur diuersa, quia esse de essentia videtur respicere rem ipsam, prout est in se, & esse de conceptu denotat nostrum concipiendi modum. Nihilominus in praesenti existimo reciprocari, idemque esse debere de vtroque iudicium. Nam id, quod est de essentia, non potest etiam in nostro conceptu a re concepta praescindi, vel si praescindatur, iam non res illa concipitur. Vt a conceptu hominis non potest, vel animal, vel rationale excludi, vel si excludas, iam non concipis hominem. Vnde etiam de conuerso si aliquid non est de conceptu rei, nec de essentia esse potest, quia si esset de essentia, non posset praescindi, vt dictum est. Et ratio est, quia conceptus obiectiuus, licet ita denominetur a conceptu formali, qui est in mente, tamen in re ipsa debet correspondere conceptui mentis, vt notauit Diuus Thomas in 1. dist. 2. quaest. 1. art. 2. Ergo sicut in re non potest talis res esse sine omni essentiali attributo, ita nec potest obijci conceptui vero talis rei, quin etiam ibi includat omne id, quod sibi est essentialiter.

Aliqui